

signorum, nempe 30. pro singulis: tertius minuta graduum, quæ minuta, propter spatij angustiam non nisi per trina & quina exprimi possunt. Quartus & extremus continet 90. gradus, qui gradus Eleuationum dicuntur, initio facto utrinque à linea horizontali.

Sunt deinde ibidem tres alij circuli, quos nonnulli describunt concentricos, ratione veri motus solis: sol enim, ut ex Ephemeridibus patet, cum 1^o die anni sit in 10. gradu capricorni, notant per lineam eius locum; deinde quinto die anni rursu ex Ephemeridibus cognito loco solis, eum notant lineola, & sic consequenter per quinos semper gradus distinguunt dies mensium donec efficiantur spatia 73. quæ multiplicata per 5. dant 365. dies anni. Quidam excentricos faciunt, respiciendo ad motum Apogæi solis, quod hoc tempore est in gradu nono cancri, & licet inæqualiter moueatur, tamen etiam in 365. partes eius motus in anno communi dispescitur, uti ex Theoricis patet. Primus igitur horum circulorum & intimus continet nomina mensium. Secundus seu medius dies mensium, de quinto in quintum. Exterior tandem & ultimus eisdem dies mensium subdivisos de tertio in tertium.

In eadem facie conspiciuntur quandoque circuli horarij, supra horizontem descripti, qui horas inæquales, in nonnullis instrumentis etiam æquinotiales & æquales designant.

In recentioribus Astrolabijs describuntur duo circelli, in quorum uno terminus paschatis. Epactæ & aureus numerus: In altero cyclus solaris & litera dominicalis secundum reformationem Gregorianam denotantur.

Tandem infra horizontem descriptum est quadratum, in quo duæ visuntur scalæ altimetræ, umbra rectæ una, & umbra versa altera; quarum unaquæque in 12. partes, sic in 60. secatur, ad rerum dimensiones accommodata.

Est præterea Regula quædam volubilis, ut in anteriori facie,

Arabibus